

no Mercurius vespertinum occasum faciat, quum ta-
men hæc ubicunq; sint, propitia sint, nec mutari pos-
sit inevitabilis ille cursus.

*De Oratoribus verò & Philosophis nonnè eadè & fortè justior querela
institui poterit atq; accusatio? Multæ apud hos sectæ, plura. imò plurima,
Sectarum placita atq; deliria: nec enim soli stoici παρὰ δόξα invexerunt.*

Videas heic calamistratum atq; unguentis delibu-
tum Epicurum ex hortis Gargettiis prodeuntem inso-
litam otiosorum Deillorum coloniam in intermundia
deducere. Videas & cum stupore intuearis cogitabun-
dum Socratem dæmoni suo auscultantem. Videas la-
tissimis Platonis humeris multas volaticarum Idearum
catervas insilientes. Videas Democritéas illas atomos
omnibus rebus curiosè sese immiscentes, Percipias ani-
mas Pythagoréas à variis ac planè diversis rapi ac tan-
tùm non discerpi corporibus, ut mulier illa ἰπτάγαμ^ο
Zadducæorum, quæ cum septem esse non possit, unius
tamen uxor esse nolit. Et quis quæso omnia illa erudita numeret
monstra, quæ novi illi Promethei, veriùs Epimethei, fabricaverunt. Ad
Ciceronis Philosophica, non minùs verè quàm copiosè illa ipsa enarrat, in-
que quamplurimis evertit atq; refutat: nec ablutit inter recentiores
Oratores Hesperia suæ phosphorus & Gallia Hesperus M. Antonius Mure-
tus oratione elegantissimâ de Theologiae laudibus. Adeò nimirum vera
sunt, quæ Nationibus olim objecit Christiani nominis & Ecclesiasticorum
scriptorum Varro Arnobius, uti eum Lipsius & appellat atq; Gerhardus Jo-
hannes Vosfig? Quid est enim quod humana ingenia labe fa-
ctare studio contradictionis non audeant? quamvis il-
lud, quod infirmare moliuntur, sit purum & liquidum
& veritatis obfignatione munitum. Aut quid rursus as-
serere verisimilibus argumentis non queunt, quamvis
sit apertissimè falsum, quamvis evidens manifestumq;
mendacium? Cùm enim sibi persuaserit quis esse ali-
quid aut non esse, amat, quod opinatur; asserere, & acu-
mine alios anteire, maximè si agatur res summota &

lib. I. Epist.
Q. 20.
lib. IV.
Instit. Orat.
c. 10.